AUGUSTINUS
Österreich (Admont ?), 2. Hälfte 12. Jh. Seite 185r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift



intret in ouile. Querunt enim plerumque tales homines etiam persuadere
hominibus ut bene uiuant. et xpiani non sint. Per aliam partem uoluntas
cedere. rapere. et occidere. non ut pastor conseruare atque saluare. Fuerunt
ergo quidam philosophi de uirtutibus et uiciis subtilia multa tractantes. di
uidentes. difinientes. raciocinaciones acutissimas concludentes.
libros implentes. suam sapientiam buccis crepantibus uentilantes. quie
tiam dicere auderent hominibus nos sequimini. sectam nostram tenete si
uultis beate uiuere. sed non intrabant per ostium. Perdere uolebant. mac
tare et occidere. Quid de istis dicamus. Ecce ipsi pharisei legebant
et in eo quod legebant xpm sonabant. uenturum sperabant. et presen
tem non agnoscebant. Iactabant se etiam ipsi inter uidentes. hoc est inter
sapientes. et negabant xpm. et non intrabant per ostium. Ergo et ipsi si
quos forte seducerent. mactandos et occidendos non liberandos se
ducerent. Et hos dimittamus. uideamus illos. si forte ipsi intrant
per ostium. qui ipsius xpi nomine gloriantur. Innumerabiles enim sunt. qui se ui
dentes non solum iactant. sed a xpo inluminatos uideri uolunt. Sunt autem
heretici. Forte ipsi per ianuam intrauerunt. Absit. Sabellius dicit. qui filius est.
ipse est pater. Sed si filius non est pater. non intrat per ostium qui filium dicit patrem.
Arrianus dicit. aliud est pater. aliud filius. Recte diceret. si diceret alius
non aliud. Quando enim dicit aliud. ei contra dicit a quo audit. ego et pater
unum sumus. Nec ipse ergo intrat per ostium. Predicat enim xpm. qualem sibi fin
git. non qualem ueritas dicit. Nomen habet. rem non habet. Alicuius rei nomen est
xpc. tene ipsam rem si uis prodesse tibi nomen. Alius nescio unde sit sic fo
tinus. xpc homo est inquit. deus non est. Nec ipse intrat per ostium. quia xpc et
homo et deus est. Et quid opus est multa percurrere. et multa uana here
sium enumerare. Hoc tenete. ouile xpi esse ecclesiam catholicam. Qui
cumque uult intrare in ouile per ostium intret. xpm uerum predicet.
non solum xpm uerum predicet. sed xpi gloriam querat non suam. Nam multi que
rendo gloriam suam. oues xpi sparserunt pocius quam congregauerunt. Hu
milis est enim ianua xpc dns. qui intrat per hanc ianuam. oportet
humiliet se ut sano capite possit intrare. Qui autem se non humiliat.
sed extollit. per maceriam uult ascendere. Qui autem per maceriam ascen
det. ideo exaltatur ut cadat. Recte tamen adhuc loquitur dns ihc.
nondum intelligitur. Nominat ostium. nominat ouile. nominat o
ues. commendat hec omnia. sed nondum exponit. Legamus ergo. quia uenturus est